



## The Holy See

---

**IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE FIDELES ECCLESIALIS** BEATUS SEBASTIANUS PELCZAR  
EPISCOPUS PATRONUS PRINCIPALIS,

ATQUE BEATA CAROLINA KÓZKA, VIRGO ET MARTYR, PATRONA SECUNDARIA

APUD DEUM DIOECESIS RZESZOWIENSIS CONFIRMANTUR Ad perpetuam rei memoriam. – Fideles ecclesialis  
communitatis Rzeszoviensis, a Nobis die XXV mensis Martii anno MCMXCII per Litteras Apostolicas «Totus Tuus  
Poloniae populus» constitutae, Beatum Sebastianum Pelczar episcopum, nec non beatam Carolinam Kózka, virginem et  
martyrem, quos ambos Nos Ipsi in Beatorum catalogum retulimus, Clara veneratione prosequuntur, atque his  
impetrantibus caelestium gratiarum copiam sibi exposcunt. Quam ob rem Venerabilis Frater Casimirus Górný, Episcopus  
Rzeszoviensis, communia cleri populi que vota excipiens, electionem beati Sebastiani in Patronum principalem et beatae  
Carolinae in Patronam secundariam apud Deum dioecesis suae rite peregit, itemque petivit ut huiusmodi electio ab hac  
Apostolica Sede confirmaretur. Nos vero, enixis eius Venerabilis Fratris precibus libentissimo animo obsecundantes,  
comprobatis iis, quae Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, factis a Nobis facultatibus, hac in re  
egit, Apostolica Nostra potestate, harum Litterarum virtute perpetuumque in modum beatum Sebastianum Pelczar  
episcopum, Patronum principalem, atque beatam Carolinam Kózka, virginem et martyrem, Patronam secundariam apud  
Deum dioecesis Rzeszoviensis confirmamus, omnibus factis iuribus ac liturgicis concessionibus, quae in Normis de  
Patronis constituendis indicantur (AAS, vol. LXV, 1973, 276-279). Ceterum volumus ut hae Litterae Nostrae religiose  
serventur suosque plenos effectus sive nunc sive in posterum consequantur. Contrariis quibuslibet rebus non  
obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die VII mensis Octobris, anno MCMXCIII,  
Pontificatus Nostri quinto decimo.* IOANNES PAULUS PP. II © Copyright 1993 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana